

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0160

0158

0164

0154

149

et pecuniam accepit pro pace. Si Arabs mihi obviasset et hoc fecisset, gratus mihi ludus fuisset, eumque probum paganum praedicasse, sed de illo Christiano nihil boni praesumo. Cumque revenissem ad dominos peregrinos, recitavi eis, quid mihi ille Christianus fecisset, et diximus factum Ameth, nostro tutori, qui eum durissimis verbis increpavit, et male de eo contentus fuit, dixitque nobis, Christianos illos orientales esse infidelissimos homines. Mansimus autem in monasterio illo ad quinque horas, quoisque furor solis remitteretur.

0169

0149

0209

0109

0259

#### De monasterio S. Sabbae Abbatis nota.

0059

Monasterium hoc S. Sabbae Abbatis est unum de mirabilioribus, quae ego vidi in evagatione. An autem hoc coenobium fuerit illius S. Sabbae, de quo in vitis patrum legitur, ambiguum est apud me. Dicitur enim, quod S. Abbas habuerit in Syria monasterium, et praefuerit pater XIII millium monachorum. Hoc autem monasterium est in Iudea situatum, quanquam et ipsa Iudea sit Syriae pars vel natio. Et dicunt monachi, qui hodie degunt in monasterio, quod S. Abbas, illius monasterii institutor et pater, habuerit simul et simul in coenobio XIV millia monachorum, quod auditu vix credibile est; sed dum homo locum videt, assentit, etsi non in tantum numerum, tamen videt, ibi habitasse multorum monachorum examen. Fuerunt autem monachi illi, et hodie sunt, ordinis et regulae S. Basilii, Graeci, sicut sunt monachi sub monte Synai in monasterio S. Catharinae. Unde autem tanta multitudo monachorum habuerint victum et amictum, plurimum miramur nos monachi occidentales; qui vero monachorum orientalium mores, victum et amictum viderunt, mirari desinunt. Victor noster est abundans et copiosus, amictus multiplex et pretiosus, domus et monasteria varia, polita et sumtuosa, quod totum non est nec hodie apud monachos orientales. Ego pro certo teneo et credo, quod unus Conventus XX fratrum monachorum occidentalium majores (B) faciat expensas, quam Conventus fratrum centum monachorum orientalium. In structuris enim parvos faciunt sumptus, habent enim tuguriola ex vilibus texta virgultis, in quibus

0659

Ende

Anfang

